



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXXXIII. De intentione & electione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXXXIII.

De intentione & electione.

SICVT nature rationali maximè proprium est ut quisque finem sibi quem in agendo intueatur, præfigat, ita nihil est ex quo bonitas & malitia humanarum actionum clariùs quàm ex fine innotescat, ex hujus siquidem intentione cum actiones reliquæ procedant, prout hæc bona vel mala fuerit, operationes omnes virtutis inde aut vitii tincturam ut ita dicam accipiunt: ut enim in rebus physicis ex sincera radice fructus integri, ex vitiatâ corrupti proveniunt, juxta illud D. Bernardi dictum, si radix in vitio est, & ramus, idem contingit in moralibus. De hac ergo intentione, ex qua humani actus tantopere dependent, accuratiùs agendum.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur nonnulla circa intentionem & electionem.

L Objectum voluntatis duplex, motiuum & terminativum.



Nullum omnino est objectum motiuum, quod simul non sit terminativum.

QUANDUM cum Philosophis communiter, duplex esse objectum voluntatis, motiuum & terminativum, in quibus licet motiuum etiam terminet, terminativum tamen, quod purè est ejusmodi, non movet. Exempli gratiâ, amat quis doctrinam propter ipsam doctrinam; hic doctrina est objectum terminativum, cum terminet actum voluntatis, & simul est motiuum, nam ex vi hujus actus movetur is ad doctrinam persequendam, & media ad illius consecutionem adhibenda. Unde nullum est objectum motiuum, quod simul non sit terminativum. At verò quando quis in tempestate merces projicit in mare, merces quidem sunt objectum terminativum illius actus, non tamen motiuum, imò movent potiùs ad contrarium, & reddunt actionem illam aliquo modo involuntariam, ut supra vidimus disputatione octogesima septimâ; id verò quod movet ad projectionem mercium, est bonitas & amor vite. Finis itaque est objectum motiuum, media plerumque terminativum.

II. Idem actus ex duplici fine honesto duplicem haurire potest honestatem.

Idem actus objecti amplecti potest ob motiva varia.

Hoc ergo posito, queritur primò, Utrùm idem numero actus Physicus duplicem habere possit honestatem ex duplici fine honesto. Respondetur posse: ut si quis aliquid honestum velit ex duplici fine disparato, se junet exempli gratiâ in quadragesimâ, & ob bonum temperantiæ & honestatem obedientiæ, uterque enim finis bonitatem suam refundit in actum. Nec est cur quis dicat tunc esse duos actus realiter & specie diversos, experientia enim videtur docere contrarium: quando namque alicui varia motiva ad aliquid amplectendum proponuntur, sex vel septem diversæ rationis exempli causâ, nullo fundamèto negaret quispiam eum unico actu objectum illud ratione omnium istorum motorum amplecti, sed tot assereret esse actus quot motiva, cum hæc rationes tendendi non sint contrariæ, ut supponimus. Quod confirmatur ex

communi sententiâ dicente, sicut potest dari unus actus visionis, qui feratur in albedinem solam, alius qui in solam nigredinem, ita & dari posse tertium, qui feratur in albedinem simul & nigredinem: idem ergo contingere poterit in voluntate.

Dices: habitus temperantiæ non potest operari, seu actus elicere, nisi ex motivo temperantiæ, ergo non potest elicere nisi actum temperantiæ tantum. Concesso antecedente, distinguo consequens: non potest elicere nisi actum temperantiæ tantum, quando operatur solus, & ut causa adæquata, concedo consequentiam: quando operatur simul cum aliâ causâ, nego: sufficit enim quod in causâ adæquatâ reperitur quidquid relucet in effectu.

Queritur secundo: Utrùm in hoc casu actus iste qui simul sit temperantiæ & obedientiæ unum generet habitum, an duos potius producat habitus distinctos quorum alter sit temperantiæ, alter obedientiæ. Respondetur: cum nulla sit ratio, cur non æquè sit possibilis habitus, qui utramque hanc in se rationem contineat, quam cur sit possibilis hujusmodi actus, probabilius mihi videtur generare habitum qui simul sit temperantiæ & obedientiæ.

Dices: quando quis aliquoties elicit hujusmodi actus, & occurrit postea materia unius tantum ex his virtutibus, temperantiæ exempli gratiâ solius, aut solius obedientiæ, sentit facilitatem in illo actu exercendo; ergo per actus præcedentes generatus est unus habitus temperantiæ tantum, & alius tantum obedientiæ; ergo duo habitus inadæquati producantur, non unus utriusque materiæ communis. Negatur tamen consequentia, ad probationem dico majorem illam facilitatem ab hoc habitu totali procedere, utpote qui æquivalet duobus partialibus, qui que prout materia occurrit, vel unius, vel alterius, vel utriusque simul, ad istiusmodi actus faciliat. Sicut secundum communem sententiam Theologorum ponentium in Angelis species universales, seu unam speciem indivisibilem respectu plurium objectorum, dicunt tamen Angelum uti posse illâ specie inadæquatè, nunc respectu hujus objecti, nunc illius, nunc omnium.

SECTIO SECUNDA.

Quomodo intentio bonitatem vel malitiam refundat in electionem.

I. Electio ex intentione mala procedit est mala.

QUÆRITUR Tertio: utrum electio orta ex fine seu intentione mala, sit mala? Respondetur affirmative, si nimirum electio in medium feratur ad illum finem obtinendum, seu in medium, ut aiunt, formaliter ut medium, hoc enim est velle illud ut utile, seu ut conducit ad finem illum inhonestum, & ut illius executivum. Unde hic & nunc talis actio est inhonesta, esto ex alio motivo potuisset fieri honesta: ut si quis nocte excubet ad furandum, quod si ad orandum, vel ægroti curam gerendam fecisset, vigiliæ fuissent honesta. Deinde hoc idem ostendi videtur ex illo Christi Matthæi 6. versu 23. Si oculus tuus (id est intentio tua) nequam fuerit, totum corpus tuum (id est actiones omnes inde secutæ) tenebrosus erit. Si vero ulterius actus electionis habeat propriam malitiam, tunc habebit in his circumstantiis duplicem, vt si quis furctur ut habeat quo se inebriet, vel fornicetur.

Ex dicitur sine actus redditur honestus vel inhonestus.

II. Non eodem modo semper se habet electio ad finem bonum, sicut ad finem malum.

Quod diximus de electione in ordine ad finem malum, verum est ex parte de electione mediæ in ordine ad finem bonum: ex parte inquam; nam sicut electio finis mali vel indifferentis ad finem malum est mala, ita electio mediæ boni vel indifferentis ad finem bonum est bona: at verò non sicut electio mediæ aliàs boni ad finem malum est mala, ita electio mediæ mali ad finem bonum est bona, sed mala; nec enim licet facere mala ut eveniant bona: corum quippe damnatio, inquit Apostolus ad Romanos 3. v. 8. qui ita faciunt iusta est.

III. Minimum peccatum ob nullum quantumvis maximum bonum, est ad mittendum.

Nunquam itaque quod absolute & in omnibus circumstantiis malum est, sub quocumque prætenu finis quantumlibet boni facere licet, nec minimum peccatum veniale pro totius etiam mundi salute committere, sed electio illa simpliciter erit mala, malum quippe, ex quolibet defectu. Verum est quidem, id quod aliquin esset peccatum, posse subinde ratione magnæ necessitatis, vel utilitatis amittere suam malitiam, & licite fieri, sicut licite occiditur homo in bello iusto. Quod ergo dicimus est primò, nunquam ratione solius intentionis bonæ aliquid, aliàs malum, posse licite fieri; nec enim in exemplo proximè allato ideo occisio hominis est licita, quia is qui occidit habet bonam intentionem; nam licet mala intentione faceret adhuc esset res illa in se licita, sed quia mutantur circumstantiæ sub quibus prohibetur hominem occidere. Deinde dicimus aliqua ita esse intrinsecè mala, ut nullo modo vel necessitate honestari possint; qualia sunt mentiri, blasphemare &c.

Hominis occisio in quibusdam circumstantiis est licita.

IV. Differentia intentionis respectu electionis bona & mala.

Dices: sicut Christus Matth. 6. v. 23. dicit, Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosus erit, ita v. 22. ait Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: ergo sicut intentio mala reddit electionem malam, ita econtrà intentio bona reddet electionem bonam. Respondetur Christum hoc loco reprehendere hypocritas, qui operationes alioqui bonas pravâ intentione vanæ gloriæ corrumpebant, ut scilicet viderentur ab hominibus: his proinde nihil deerat ut actiones essent bonæ præter intentionem, quæ sola in se erat mala, cum actiones secundum se essent bonæ. Hinc tamen non sequitur posse intentionem bonam honestare actiones malas, cum illic sermo tantum esset de actionibus ex se bonis. Existimo nihilò

Diffin illud Christi: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, prolutum ab eo fuit contra hypocritas.

R. P. Comptoni Theol. Scholasti. Tom. I.

minus bonam intentionem & finem, malitiam malæ electionis minuire; qui enim malum solum propter bonum aliquem finem appetit, signum est non ita erga malum affici, sicut afficeretur alter, qui sine eiusmodi intentione illud amplecteretur,

SECTIO TERTIA.

Alia quadam de bonâ vel mala intentione & electione.

QUÆRITUR quartò, utrum quando quis eligit medium in ordine ad finem, possit electio illa non solum accipere honestatem a fine, de quo non videtur dubium; sed etiam habere honestatem propriam ipsius mediæ: utrum scilicet possit quis velle actum obedientiæ aut alterius virtutis ex motivo charitatis, nempe ut placeat Deo, & simul ob peculiarem illius virtutis honestatem.

I. An electio honestatem habere possit a medio.

Probabilius mihi videtur id non repugnare, sicut eadem medicina & utilis esse potest ad sanitatem, & simul gustui delectabilis ob dulcedinem, unde & propter utilitatem expeti potest in ordine ad sanitatem, & ratione dulcedinis amari propter se. Idem ergo erit in præsentia, sicque actus ille obedientiæ in quantum fit ex motivo charitatis, propter illum finem amatur, seu ut ad illum consequendum est utilis, estque electio; in quantum vero ob propriam, quam in se habet honestatem res expetitur, est intentio.

II. Eadem medicina & propter sanitatem expeti potest, & propter se.

Dices: si actus ille obedientiæ propter aliud & simul propter se ametur, ergo amatur dependenter & independenter ab alio. Hic esse potest quæstio de nomine; si enim per amari independenter ab alio, intelligatur quòd actus non feratur in objectum illud adæquatè propter aliud, sed etiam propter honestatem sibi intrinsecam, hoc sensu & dependenter amatur, & independenter ab alio: si verò per amari independenter, intelligat quis ita amari propter se ut non etiam ordinetur ulterius, seu non ametur propter aliud, falsum est amari independenter ab alio; particula enim non implicite in hac voce inclusa, cum sit malignantis naturæ, ut aiunt, negat omnem dependentiam.

III. Declaratur quo sensu amari aliquid possit dependenter & independenter ab alio.

Tandem notanda natura hujus intentionis: si enim ita feratur in actum obedientiæ propter honestatem obedientiæ, ut licet non esset in eo utilitas illa seu referibilitas ad charitatem, adhuc eum amaret & eliceret, tunc censetur simpliciter amari propter se, & independenter ab alio, cum dependentiâ tantum secundum quid: econtrariò verò si ametur simpliciter propter finem charitatis seu placendi Deo, ita ut nisi esset in eo hæc utilitas, hic & nunc actus ille non eliceretur, censetur amari simpliciter propter aliud. Tertio ita elici potest hic actus; ut utraque ratio inadæquatè solum concurrat, seu moveat ex parte, adeoque ambæ simul integrent unum motivum totale, tunc autem nec propriè dici potest amari simpliciter, dependenter nec independenter ab alio, sed dependenter partim, partim independenter. Quarto denique ita fieri potest intentio, ut æqualiter & adæquatè terminetur actus ad utrumque motivum, honestatem scilicet obedientiæ & charitatis, ita nimirum, ut si motivum charitatis hic & nunc deesset, actus tamen obedientiæ eliceretur, & in hoc casu amatur & independenter ab alio & dependenter, juxta dicta numero præcedente.

IV. Intentio illa quatuor modis ferri potest in rem intentam.

Intentio interdum æqualiter partim ferri in utrumque motivum.

Quæritur quintò, utrum intentio bona vitari possit ex pravâ electione. Variis modis potest res

V. Possit intentio bona, ex pravâ electione vitari.



hæc contingere. Primum itaque, si quis intendat finem prævidens illum esse obtinendum per sola media mala, intentio secundum omnes est mala; hac enim ratione implicite saltem vult aliquid malum, idque determinate: imò licet prævideatur obtinendus finis vel per media licita vel illicita, & efficaci voluntate eum velit, intentio est mala; eo enim animo tunc fertur in finem, ut casu quo media bona ad illius consecutionem non sufficerent, adhibere vellet mala, qui affectus sine dubio esset malus.

VI. *Obj. Intentio finis semper ferri videtur confusè in media mala. Homo ille dicta media nō cognoscit ut mala.*

Quid dicat is, qui media cognoscit esse mala.

Dices: sæpe quis fertur, saltem confusè in media mala, & tamen actus non est malus: antecedens patet; quando enim quis in genere solum intendit finem, ex vi hujus actus non magis vult indirectè unum medium quàm aliud, sed solum vult adhibere aliquod, ergo hic actus in confuso fertur ad omnia media, sed inter omnia media ad finis alicujus consecutionem idonea, semper ferè aliqua sunt mala, ergo. Respondetur, tunc quidem fertur is in media illa mala, sed solum confusè cognita, unde quamprimum in ullo eorum apparet malitia, rejicitur illicò illud medium, & aliud honestum assumitur. Quare hic homo est ita animo affectus, ut licet materialiter & sub disjunctione velit quidem modo dicto medium malum, non tamen expressè cognitum ut tale, sicut est in casu conclusionis, sed finem potius vult omittere, quàm illum per ulla media illicita consequi, quod tamen non contingit alteri, qui clarè videns malitiam mediorum vult nihilominus efficaciter finem: quo factò est paratus animo, si media honesta desint, adhibere alia: Ut si quis vellet agrum alterius possidere pretio vel vi, dare eleemosynam, ex propriis vel alienis, & alia hujusmodi.

Intentio itaque finis ex se boni, quando causat electionem malam, semper est mala, non quòd inficiatur ab electione illam sequente, sed quòd cum hoc modo finem intendens advertat malitiam mediorum, pergat adhuc, sicut malitiam illorum jam præcognitam vult implicite in illa intentione, quæ proinde cum hac cognitione continuata, eique coexistens, eo ipso est mala.

Dices: Exodi primo laudantur obstetrices Egyptiæ, quæ tamen, ut Hebræorum infantes fervarent, fuerant mentitæ: ergo electio mala non semper vitia bonam intentionem: & insuper contra id quod supra sectione secundâ diximus, possunt fieri mala ut eveniant bona. Respondetur, non ob mendacium eò loco laudatas esse obstetrices, sed ob actum illum bonum, quo volebant fervare infantes. Nèque ex hoc actus processit earum mendacium, sed disparatè ad illum se habuit, & non ut fervarent infantes sunt mentitæ, sed ut sese apud Pharaonem excusarent, quem sibi animadvertabant vehementer esse offensum. Per actum ergo bonum infantum vitæ, per mendacium suæ consulebant, & per hoc secundum venialiter peccabant.

Nonnulli tamen eas in hoc mendacio à peccato excusant, per invincibilem scilicet ignorantiam; si enim inquam, viri etiam docti aliquando dubitaverint, utrum mendacium ad servandam vitam non esset licitum, & Cassianus, quamvis malè, illud asserat ob bonum finem à culpâ interdum eximi, quantò magis hoc existimare potuerint muliercula. Unde ulterius aiunt, etiamsi mendacium hoc ex intentione servandi pueros provenisset, nihilo tamen fecius per illud non fuisse vitandam intentionem.

VII. *Ostenditur quo pacto intentio finis boni causa re possit nam.*

VIII. *Qua de causa ostenditur Egyptiæ ca. Scripturæ laudentur.*

Obstetricum mendacium non peccatis ex intentione servandi.

IX. *Quidam in hoc mendacio obstetricis ob bonum peccato excusant.*

DISPUTATIO LXXXIV.

Humanorum actuum circumstantiis.

DE actuum circumstantiis agunt Oratores, Jurisperiti, & Theologi: Oratores tum ad sermonis varietatem & copiam, tum diversos animi motus in auditoribus excitandos: Jurisperiti ad decidendas lites contractusque firmandos aut immutandos: Theologi denique ad perfectam actuum acquirendam notitiam, bonitatemque eorum & malitiam indagandam: actus quippe humani teste. Philosopho versantur circa singula, qui proinde ut usquequaque sint integri, non objectum tantum ac finem, de quibus in superioribus dictum est, sed circumstantias etiam respiciunt, ex quibus nimirum aliquid iis accrescere potest quod illos vitiet, malum siquidem ex quolibet defectu. Ut ergo dignoscatur, num actus aliquis bonus sit an malus, singula illius circumstantiæ accuratè sunt inspiciendæ.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur quedam circa actuum humanorum circumstantias.

I. *Sermo est de actu interno.*

Hic imprimis advertendum, sermonem in præsentem esse de actu interno; de actu siquidem externo nemini dubium esse potest, quin idem numero physicè persistens, secundum diversas circumstantias illi extrinsecas, bo-

nitatem & malitiam diversis temporibus habere possit, eadem nimirum comestio carnis tempore prohibito & non prohibito. Quærimus itaque, an & quomodo hoc contingere possit eidem physice actui interno.

Circumstantiæ actuum humanorum ut plurimum numerantur septem, quæ hoc vesiculo à S. Thoma hic, q. 7. a. 3. recensentur, *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* Ideò verò dicuntur circumstantiæ, quia non sunt de actus substantiâ, sed illum veluti quædam accidentia

Actus externus sine circumstantiis non est bonus & malus esse potest.

II. *Circumstantiæ humanorum actuum sunt septem.*